

adicit: prædicans præceptum eius. Ad hoc enim venit in mundum, vt ait diuus Ioan. 8. Ioannes capite 18. vt testimonium perhiberet veritati. Nonne vides, quam diuerſum opus à munere regum temporalium? Non ait: exercens arma, oppugnans ciuitates: sed Dei legem prædicans, & veram ac salutarem cœlestemque doctrinam annuntians. Audi Zachariam diuinum vatem dicentem capite 9. Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Vbi est pompa regis temporalis? Vbi militum & equitum comparatus exercitus? Vbi armatorum copia? Vbi principis huius seculi ornamenta? Vbi equi phaleris pulchris ornati, propter crebras præliorum contentiones ferocitate exultantes? Vbi curus triumphales: Vbi arma bellica? Vbi vestes sericæ gemmis distinctæ clarissimis? Vbi magnificentia regii apparatus? Vbi aureum diadema splendens ac fulgentibus margaritis decoratum? Si diuinus vates mentis oculis aspexisset fore Christum temporalem regem, qui Hebræos esse: opibus amplificatus, & à dispersione corporali, ac Romana seruitute erepturus, dixisset: Ecce rex tuus veniet tibi diuitiis affluens, potentia roboratus, militibus septus, equo pulcherrimo vectus, fortibus armis munitus. At nihil horum dixit, sed descripsit regem spiritualem, omnemque eius apparatus spirituali regi congruentem. Illud velim consideres, consuetudinem esse ciuitatum, recipere regem sub pretioso quodam operimento serico eleuato, quod pullum vocant. Cum sint reges terræ, non autem cœli, detegunt illis terram, & cooperiunt cœlum. Contrà verò Christo Deo nostro in illo ingressu Hierosolymæ operuerunt terram ramis ac vestibus, cœlum autem omni operimento nudatum reliquerunt, quoniam rex erat cœli sempiternus, rex autem terræ temporalis non erat. voluit hæc fieri, vt intelligeremus, regiam ipsius dignitatem non esse terrenam, & redemptionem nostram per illum animarum esse, quas à contagione inipunitatis abstrahēt ad æternam bea-

titudine perduceret. Ita illi expectabant antiqui patres, ita de eius aduentu vaticinati sunt diuini vates, nimirum spiritualem regem, & animarum redemptorem, cuius sanguine erant mundi maculæ abluendæ, & iniquitates expiandæ. Diuinus citharedus eius redemptionis vim & rationem iis verbis explicauit. Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Dicēs, ex omnibus iniquitatibus, aperte indicauit, Christum fore animarum redemptorem. Hoc testificatur idem Messias apud Esaiam capite 44. Cum ait, Deleui vt nubem peccata tua, & quasi nebulas iniquitates tuas, reuertere ad me, quoniam redemi te. Eam ob causam idem vates gladium huius regis spiritualem fore iis verbis capitis quadragesimi noni significauit, Postui os meum vt gladium acutum. De quo ait Daud Psalmo 44. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. De quo proximè dixerat. Speciosus forma præ filiis hominum, &c. Pro quo paraphrastes Chaldeus habet, Pulchritudo tua rex Messias. Deinde si Christus fuisset rex temporalis, fuisset oleo vnctus temporali instar aliorum regum Iudææ. Solebant enim qui regis honore afficiebantur, oleo quodam vngi corporeo, vt multis in locis literæ diuinæ memoriæ prodiderunt. Cum autem non temporali, sed spirituali oleo vnctus fuerit, perspicuum est, eum non temporalem, sed spiritualem regem extitisse. Fuisse aut vnctum oleo illo spirituali copiose probat Eusebius Cæsariensis lib. 4. de demonstratione euangelica. Sed quid dico? Ipse Christus hoc asserit, cum ait apud Esaiam capite. 16. Spiritus domini super me, eo quod vnxit me, ad annuntiandum mansuetis meis, vt mederer contritis corde. Et diuus psaltes eum alloquens, Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Vocabulum Deus priore loco in uocatio est, posteriore verò in nominatio vt Aquilæ versio aperitissimè ostendit. Ac si dicat, Te o Deus immesse, o Christe sancte vnxit Deus tuus pretioso oleo spirituali longè vberius, quam ceteros, qui sunt tui confortes. Oleum lætitiæ interpretatur diuus Petrus capite decimo Actorum apo-

Psa. 109

Esai. 44.

Esai. 49.

Psal. 44.

1. Re. 15
& 16.

2. Reg. 3
Eusebi.

Esai. 61.

Psal. 44.

Aquila.

Ast. 10.

F stolo.

Ma. 2. 1.